

magnis nauigijs xxxviii. M. d. pass. inde minoribus longo spatio, pontibus cxx. peruius. Oppida in ripis habuit complura: celeberrima, Tyritacen, Cygnum, & in faucibus Phasin. Maxime autē inclaruit Aea. xv. M. pass. à mari. vbi Hippos & Cyanos vasti amnes è diuerso in eum confluunt. Nunc habet Surium tantum, & ipsum ab amne influente ibi cognominatum, vsq; quo magnarum nauium capacem esse diximus. Et alios accipit fluuios, magnitudine, numeroq; mirabiles, inter quos Glaucum. In ore eius insula sine nomine. Abest Absaro lxxv. M. Inde aliud flumen Charien. Gens Salæ, antiquis Phthirophagi dicti, & Suani. Flumen Cobum è Caucaso per Suanos fluens. Dein Rhoad. Regio Ecreffice. Amnes Sigania, Tersos, Atelpos, Chrysorrhoas, gens Absilæ, castellum Sebastopolis, à Phaside c. M. pass. gens Sannigarum, oppidum Cygnus, flumen & oppidum Pityus, Deinde multis nominibus Heniochorum gentes.

Regio Colchica, Achæi, & cæteri eodem tractu.

CAP. V.

Subiicitur Ponti regio Colchica, in qua iuga Caucasi ad Riphæos montes torquentur, vt dictū est, altero latere in Euxinū & Mæotin deuexa, altero in Caspium et Hyrcanium mare. Reliqua littorū feræ nationes tenent, Melanchlæni, Coraxi vrbe Colchorum Dioscuriade, iuxta fluuiū Antemunta, nunc deserta, quondam adeo clara, vt Timosthenes in eā ccc. nationes, quæ dissimilibus linguis vterētur, descēdere prodiderit. Et postea à nostris cxxx. interpretibus negocia ibi gesta. Sunt qui conditam eam ab Amphitoe & Telchio, Castoris ac Pollucis aurigis putēt, à quibus ortam Heniochorum gentem feram constat. A Dioscuriade oppidum Heracleū, distat à Sebastopoli lxxx. M. pass. Achæi, Mardi, Cercetæ, post eos Serri, Cephalotomi. In intimo eo tractu Pityus oppidū opulentissimum, ab Heniochis direptum est. A tergo eius Epageritæ, Sarmatarū populus in Caucasi iugis, post quem Sauromatæ. Ad hos confugerat Mithridates Claudio principe, narravitq; Thalos iis esse confines qui ab oriente Caspii maris fauces attingerent: ficcari eas aestu recedente. In ora autē iuxta Cercetas, flumen Icarusa, cum oppido Hiero & flumine, ab Heracleo cxxxvi. M. Inde promontorium Cronca, quo supercilium arduum tenent Toretæ, ciuitas Sindica ab Hiero lxxvij. M. passuum. Flumen Sceaceriges.

Bosphoros Cimmericus, Mæotis. CAP. VI.

Inde ad Bosphori Cimmerici introitum lxxxviii. M. d. pass. Sed ipsius peninsula inter Pontum & Mæotin lacū excurrentis, nō amplior lxxxvij. M. d. pass. Longitudo est, latitudo nusquam infra duo iugera. Eionem vocant. Ora ipsa Bosphori, vtrinque ex Asia atque Europa, curuatur in Mæotin. Oppida, in aditu Bosphori primo Hermonassa, dein Cephæ Milesiorum. Mox Stratoclia & Phanagoria, & pene desertum Apaturos, vltimoq; in ostio Cimmericū, quod antea Cerberion vocabatur.

Gentes circa Mæotin.

CAP. VII.

Inde Mæotis lacus in Europa dictus. A Cimmerico accollūt Mæotici, Vali, Serbi, Arechi, Zingi, Psefii. Dein Tanain amnē, gemino ore influentem, incolunt Sarmatæ, Medorum (vt ferūt) soboles, & ipsi in multa genera diuisi. Primo Sauromatæ Gynæocratumeni, vnde Amazonum connubia. Dein Euazæ, Cotta, Cicimeni, Messeniani, Costobocci, Choatra, Ziga, Dandari, Thussageta, Turca, vsq; ad solitudines saltuosas conuallibus asperas: vltra quos Arimphæi, qui ad Riphæos pertinent montes. Tanain ipsum Scythæ Silyn vocant, Mæotin Temerinda, quod significat matrem maris. Oppidum in Tanais quoq; ostio fuit. Tenuere finitima primi Cares, dein Clazomenij & Mæones, postea Panticapenses. Sunt qui circa Mæotin ad Ceraunios montes* altiores has tradunt gentes, à littore Napæas, supraq; Essedones Colchis iunctos ac montium cacuminibus. Dein Carmacas, Oranos, Antacas, Mazacas, Ascantios, Acapeitas, Agaganmatas, Phycaros, Rhimosolos, Ascomarcos. Et ad iuga Caucasi Icatals, Imaduchos, Ranos, Anclacas, Tydios, Carastascos, Asuciandas: Lagoum amnem ex montibus Catheis, in quem defluit Opharus: vbi gentes Caucadas, Opharitas. Amnem Menotharum,* Imituensis ex montibus scissum, inter Agados, Carnapas, Gardeos, Accisos, Gabros, Gregaros, Circaq; fontem* Imitisi, Imituos, & Aparthenos. Alij influxisse eo Suitas, Auctetas, Satarneos, Asampatas. Ab his Tanaitas & Nepheonitas viritim deletos. Aliqui flumen Opharium labi per Cantecos & Sapeos. Tanaia vero transisse Phatareos, Herticeos, Spondolicos, Synbietas, Amassos, Issos, Catacetos, Tagoros, Catonos, Neripos, Agandeos, Mandareos, Satturcheos, Spaleos.

Armenia duæ.

CAP. VIII.

Preddantur gentes in mediterraneo sinu, in quo multa aliter ac veteres proditurū me nō eo inficias, anxia pquisita cura, rebus nuper in eo situ gestis à Domitio Corbulone, regibusq; inde missis supplicibus, aut regū liberis obsidibus. Ordinem autē à Cappadociū gente. Longissime hæc Ponticarū omnium introrsus recedens, minorem Armeniā maioremq; & Comagenem læuo suo latere transit: dextra vero oēs in Asia dictas gentes, plurimis superfusa populis: magnoq; impetu scandens ad ortum solis & Tauri iuga, transit Lycaoniam, Pisidiam, Ciliciam. Vadit super Antiochia tractū, et vsq; ad Cyrresticā eius regionē, parte sua quæ vocatur Cataonia, contendit. Itaq; ibi longitudo Asia xij. l. M. pass. efficit, latitudo d. cxi. M.

Armenia maior.

CAP. IX.

Armenia autē maior incipiens à Pariedris montibus, Euphrate amne (vt dictū est) aufertur Cappadociæ: & qua discedit Euphrates, Mesopotamiæ, haud minus claro amne Tigri. Vtrinque; fundit ipsa, & initium Mesopotamiæ facit, iter duos amnes ituræ.

* altiores, nō est in antiquo codice.

* Imituem, ex motibus Cifsiis.

* Imituus

* nunc reddatur ingēs in mediterraneo sinu